



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Sancti Epiphanii Episcopi Constantiæ Cypri, Opera Qvæ
Extant Omnia**

Epiphanius <Constantiensis>

Coloniæ Aggripinæ, Anno M.DC.XVII.

Eiusdem Epiphaniij Historia de Prophetarum vita & interitu, denuo
recognita ac velut de integro conuersa, Albano Torino interprete.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80258](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80258)

DIVI EPIPHANII EPISCOPI CYPRI HISTORIA DE PROPHE- TARVM VITA ET INTERITV, ALBANO

Torino Interprete.

*Nathan Propheta vita, interitus ac monu-
mentum.*



NATHAN Propheta, eisdem fere tem-
poribus, quibus David in lucem edi-
tus, è tribu & prosapia Thock, popu-
laris autem vrbis Galilæe Gabath,
lege Domini Dauidem institu-
it. Præciebat Nathan ille Pro-
pheta, quod rex David in Bersabæe

ardore plus æquo transgrederetur:
confestim igitur, Gabath relicta, Hierosolymam con-
tendit, quo eundem à tanto facinore Regem abstraheret. Sed ecce impedimento fuit Beliar, nam quum ex-
antem eum itinere, nudum reperisset, tantisper cun-
ctatus est, quoad terræ mandaret, ne indignis admodum
modis corpus hominis ab animalibus brutis ac belluis
diliarietur. Eadem tñ nocte Nathan agnoscebat, quod
David rex flagitium sese plane indignum iam pridem de-
signauerat, quare moerens, magnaue lamentatione re-
uerfus Gabath repetit. Vbi vero Vrias Bersabæe maritus
à Dauide peremptus est, legauit Deus ad eum Nathan, vt
grauiter regem, de piculo corripere & castigare. Tunc
demum David in sese descendens, ingenti formidine per-
cussus, Dominum vehementer meruit, quod illi nunc
manifeste perpetratum scelus displicere animaduerte-
rat. Sentiebaturque David rex, Spiritu Dei sancto Nathan
afflatu esse prophetam. Honorabaturque & veneraba-
tur hominem, tanquam numen aut sanctum Dei. Ipse
vero extremo senio confectus vita decessit, & in Gabath
proprio suo tumulus est agro.

*Achias Selonita quum vita tum obitus cum se-
pulchro.*

ACHIAS vero Selonites è Selom oriundus, ex tribu
habebatur Iuda, p̄iscum vbi conueri illud erat ar-
ca tabernaculum, ex Armathem, Heli sacerdotis oppi-
do. Hic est ille Propheta, qui super Solomone, Dauidis
Filio loquutus est, quod futurus esset aliquando Dei ad-
uersarius. Quique increpauit Hieroboam, quod susce-
pto olim principatu, dolo & fraudulenter foret acturus
cum Domino. Visum namque suis apparuit oculis, Par-
boum pessundare populum, inque sacerdotes impetum
facere. Cæterum vaticinatus est Solomoni, futurum vt
muliebri genus alienaret ipsum à Domino. Item inge-
nuè dixit ad Hieroboam, Te par buccularum auertet o-
llim à Domino, & erit in seruitutem tua propago. Vitam
porro Achias in mortem commutauit, & haud procul à
queru ea, quæ in Selom existit, postremum honorem &
monumentum sortitus est.

Ioam Propheta vita, mors & tumulus.

IOAM Propheta oriundus à Samaria, confusus in via à
leone, fato functus est. Is est ille qui Hieroboam, pro-
pter aureas, quas erexit iuuenas, corripuit, quique e-
iusdem hostias sacrificiumque è medio sustulit & abro-
gavit. Quum autem eum ob hoc Hieroboam verbera-
re conaretur, sublata in prophetam dextera, confestim
arida eius facta est manus. Post hæc Ioam Propheta, fal-

so propheta imposuit. Nam quum esse panem tum vn-
dam potare impulisset, egredientem pessum dedit, &
contudit eum (in quem inciderat) leo, afinam autem
suam nulla affectit iniuria. Solo autem redditus est in Be-
ther iuxta pseudopphetam. Quum verò paucis post
diebus animam pseudo quoque propheta ageret, iuravit
sacerdotibus quod vna cum Ioam Propheta lepeltria af-
fectaret, eo quod illi verba dedisset, & in resurrectione
iustitia ab vnoquoque exigatur. Ita vterque in eodem sunt
monumento conditi.

Azarias Propheta vita & interitus.

AZARIAS Propheta domo quidem & genere de Syn-
phata fuit. Is est qui precibus suis auerit capti-
uitatem, quam Iuda machinabatur in Hierusalem. Cæte-
rum super aduentu Domini vaticinatus est haud pauca.
Obdormiuit in Domino, in patria sua, vbi humatus
est.

Helias Propheta vita & obitus.

HELIAS Propheta ex Thesbis erat, è continente A-
labum, de tribu Aaron Leuita, morabatur autem in
Galaad, quoniam Thesbis erant ædes sacerdotibus con-
secratae. Quem quum eniteretur parens eius, eiusmodi
Sobac patri visio apparuit. Viri riuicium quandam præ se
ferentes habitum, pusionem salutabant, matrisque vbe-
ribus in ignem alluebant, quin & flammam ignis cibilo-
co ministrabant. Profectus est itaque genitor in Hierusa-
lem, visaque ad sacerdotes reuoluit. Respondit autem illi
Chrematimus (hoc est Oraculum siue responsum) Cæue
manifestum facias. Erat quippe lumen filius huius do-
micillium, sermoque eius, demonstratio ac sententia
breuis, & iudicabit Israel quum in igne tum romphaa.
Hic est ille Helias, qui ter ignem è caelo deduxit, quique
imbrem sua lingua gestauit, mortuos item suscitauit,
& in celum denique nimbo, seu turbine ignis assump-
tus est.

Helisai Propheta vita & interitus.

HELISAIUS Propheta erat ex Abelmuth, de terra Ru-
bim, quo super huiusmodi contigit miraculum.
Quod simul atque natus est in Galgalis, Bos illa aurea in
Selom, clamore tam acuto vociferata est, vt auribus acci-
peretur Hierosolymis. Expofuit tunc prodigium sacer-
dos. Hæc, inquit, argumento sunt, prophetam hodie in
lucem esse editum, qui comminet sculptilia, & confra-
get & euertet constatilia. Prodigia porro innumera De-
per manum Helisai designauit. Cæterum carnis debi-
tum soluens, in Sebastopoli Samariae supremo honore
affectus est. Vaticinatus est autem de aduentu Christi, &
aquis in Hierico steriles, quæ amaræ sunt admodum, me-
dendo dulcorauit, addens. *Hæc insit Dominus, Sanabo aquas
istar* confestimque sanatae sunt, in hanc lucem vsque ho-
dieram. Quin & exanimatis etiam vitam restituit. Le-
prosum item Neeman Syrum à Lepra auerit. Gieze
contra puerum eius leprosum reddidit, & vbi iam efflax-
set animam, extinctum tanquam ab Orco in vitam reuo-
cauit.

Esia

Esaie Propheta vita & interitus.

Esaies Propheta quidem in Hierusalem de tribu Iuda ortus, sub Manasse vero Rege Iuda sectus in duas partes, occubuit. Tumultuatus est sub quercu Rogel iuxta transitum aquarum, quas olim Ezechias rex obstruxerat, quum eas vnda peruis efficeret. Fontem quippe Deus Seloam causa prophete effecit, quoniam priusquam moreretur, pusillam precatus est, ut vnda illic effligeret dignaretur. Et confestim demisit illi coelitus aquam viuentem, vnde sortitus est locus ille appellationem Siloa, quod, si quis interpretetur, sonat demissam. Sub Ezechia quoque rege, antequam stagnum piscinalis fabricasset, precibus Esaie effectum, ut exigua lympha scaturiret, quod populus in obsidione hostium teneretur, & ne ipsa periret vnda destituta ciuitas. Milites igitur perscrutabantur vndique, vbi nam sedare si in daretur, ignorabat enim. Vrbe quippe iam positi, obsidebant Seloam: quandoque itaq; indigentes Iudaei aquarum venerant, scaturiebat eis vnda, & aquabant: exterarum vero nationum homines reperire nesciebant, latex namque aufugebat. Eoque ad hodiernum vsque diem eructatur clanculum, quo significetur mysterium. Ceterum quandoquidem Esaie Propheta istud acceptum referunt, in perennem eius rei memoriam, & populus accurate prophetam isthuc solo cum gloria & honore reddidit, ut per eiusdem intercessionem in consummationem vsque seculi, aquae eiusmodi fructus imperetur, cui scilicet vsus referebant acceptum. Erat autem monumentum Esaie finitimum sepulturae principum, post sepulchra sacerdotum versus Notum, partemque meridionalem. Solomonem enim Hierosolymam construens, regum excitaui Mausolea, pro vr illa David descripsit. Existit autem Orientem versus Sion, quae introitum à Gabaoth possidet, quaeq; ab oppido viginti distat stadiis. Foueam praeterea facit illic hic incomprehensibilem, magnae etiam mortaliu parti incompertam.

Hieremia Propheta vita & interitus.

Hieremias, Propheta Anathothides apud Taphnas in Aegypto à plebe lapidibus obrutus occubuit. Tacet vero in eo loco sepultus, quo dudum Pharaon rex habitauerat, quamobrem Aegypti postea magna eum religione colebant, vbi pluribus se officii ab illo adiuari cognouerunt. Aspides enim & vndarum belluae (quas Nephod appellant Aegyptij, Graeci vero τῆς κερνοδῆδος eos interimentes postulationis Hieremiae beneficio ex illis finibus sunt prostrigati, nec tam aspidum furor, quam ex flumine ratione pari bestiarum insidiae. Quisque vel hodie adhuc fideles comperiuntur, eodem in loco supplicare consueunt, & sumpto pulvere motibus alpidum medentur, ferae quoque aquarum hinc aufugerunt. Idem propheta sacerdotibus Aegypti signum exhibuit dicens: Oportere olim cuncta eorum simulachra concidere, simulque manufacta omnia praecipitari, vbi Aegyptum ascendit cum suo infante virgo enixa, Deo similis. Id quod tandem vsu veni illis. Hic est ille Propheta, qui ante mutationem templi arculam apprehendit, quaeque fuerat in ea singula, & curauit ea absorberi in saxum. Et loquutus est sacerdotibus plebis, & quicumque aderant, maioribus, Profectus Dominus à Sina in caelos, sed reuertetur in maiestate & virtute diuina. Et hoc indicium aduentus ipsius erit, Quando gentes vniuersae ligno supplicabunt. Addidit praeterea, Arcam hanc nec quisquam referabit vnquam, neque sacerdotum neque prophetarum, excepto Mose electo Dei. Tabulas quas continet ipsa, nullus explicabit, praeter Aaron. Ceterum in resurrectione primum arca resurget, & prodibit è saxo, inque Sina monte locabitur, & omnes sancti ad eam confluent, ut illic suscipiant Dominum, & vitent inimicum, qui perdere illos affectabat. Tunc saxum sigillauit digito, inscribens nomen Domini, & factus est typus instar sculpturae ferri, & nubes petram cooperuit, & eum locum

nemo nouit. Quin ne nomen quidem vsque in hunc diem & vsque in consummationem seculi datur legese. Lapis deinceps ille habetur in solitudine, vbi primitus fabricata est arca, in medio montium in quibus iacent Moses & Aaron sepulci, in noctibus porro nubecula nitet modo ignis, eodem loci. Pro typo qui erat ab initio, quoniam nunquam cessabit maiestas Dei à lege eius.

Ezechieli Propheta vita & interitus.

Ezechieli Propheta è terra Sarera de filiis Pontificum Egenus duxisse asseritur. Fato functus est tempore captiuitatis in regione Chaldaeorum. Plurima ille super reuerfione populi prophetauit, deque reditu filiorum Israel, nec non & de aduentu Domini. Occidit autem illum dux populi, quum vna secum incola foret in Babylone, reprehensus ab eo de cultibus idolorum. Quare in agro Maur funerauerunt eum in monumento Sem & Arphaxad progenitorum Abraham. Et sepulchrum ipsius ad nostra vsque tempora specus est duplex. Etenim Abraham excitaui ad huius instar, Sara coniugis suae monumentum in Chebron. Quod quia desolatus sit atq; latens, duplex dicitur è planicie & in terra tabularum petraque suspensum. Iste quidem Propheta populo obiecit prodigium, quum precatus esset ad amnem Chobar, Quod videlicet quum deficerent vnda fluminis eius, falcem desolationis sperare deberent in finibus terrae, & quando exundaret fluvius ille, id signum esse reditus in Hierusalem, & contigit illud. Etenim in terra Syyriorum vir pius ille sepultus iacet. Multique ad monumentum eius confluent ad precationem & obsequium. Sane quando tanta eo frequentia vna ad monumentum eius conueniunt, formidant Chaldaei ac metuunt, ne illum auferant, quapropter egredientem comitantur, & deducunt. Effecit vero Propheta consistere hic fluminis vnda, quo terga darent filii Israel trans ripam. Ceterum Chaldaeorum aliquot audaciores populum pone persequi tentabant, qui quidem ad vnum omnes submersi sunt. Iste quoque propheta spontinis orationibus, filiis Israel verberum piscium impetrauit commeatum, ut qui inedia tunc non perissent, piscium esu reficerentur. Plurimis etiam illorum, qui auri vitaliam vesci desiderant, vitam recuperavit. Is est quoque vates ille, qui plebe iam depressa ac pessundata ab hostibus, stetit contra faciem ducum illorum, & confundebat eos portentis & miraculis, ita ut milites territi caepo desisterent. Tunc populo suo Ezechieli dixit, propterea quod parum conuenit inter vos, spes vestra interijt. Nunc in prodigijs ossium mortuorum facit illos, quoniam est spes Israel quum praesente, tum aetate futura. Hic est, inquam, propheta, qui quanquam esset in regione Chaldaeorum, pleraque tamen populo, quaecumque in Hierosolymis inque templo fiebant, aperuit. Iste quoque propheta eduxit eos è finibus Chaldaeorum, & reduxit in Hierusalem ad redargutionem impiorum & infidelium. Hic Ezechieli per Mosen contemplatus est situm templi, murumque eius spaciosum, prout locutus est etiam Daniel vti olim conderetur. Hic in Babylone iudicauit tribum Dan & Gad, quod impie egissent aduersus Dominum, persequendo eos qui legi fidem suam astrinxerant. Obtulit autem illis in signum prodigium & ostentum, quoniam angues deuorauerunt infantes eorum, & omnia iumenta ipsorum. Praedixitque quod culpa eorum nequeat populus regredi Hierosolymam, quin in Media permaneret quo ad resipiscerent, & in viam, quod aiunt, redirent. Erat sane vnus illorum qui eum interemit, oppositus enim erat illi, vsque in diem obitus sui.

Vita & obitus Danielis Propheta.

Daniel propheta è tribu quidem fuerat Iuda, genere optimatum regiae administrationis filius, adhuc infans pulso è Iudaea in Babylone perductus est. Prognatus autem in Berhebero superiore haud procul ab Hierosolymis. Et ea semper fuit viri modestia ac probitate,

A vt spadonem putarent eum esse Iudæi. Magno merore luxit urbem Hierosolymam, ita porro in abstinentia & ieiunio vixit, vt ad omne genus cupediis facile temperaret. Vir aspectu quidem aridissimus, ac squallore oblitus, in fauore autem ac gratia Domini perquam speciosus. Plurimas fudit preces pro rege Nabuchodonosor, quum factus esset bestia atque iumentum, ne perderetur. Præferabat enim anteriore parte, pariter & capite bouem, pedibus vero & posterioribus leonem. His quippe optimates eorum plerique omnes in iuuenture sunt præditi, vt instar bouis de iugo nascantur Beliar voluptatis desideriorum gratia. Deinde bestię tandem fiunt, nempe prædones, vestatores, percussores. Cognouit itaque Daniel vir sanctus, quod (more bouis) feno veiceretur, & destinatus est illi in humanæ naturæ pabulum. Quocirca Nabuchodonosor à flagello sibi hoc misso, retinens etiam in corde suo humanum sensum, ingenti luctu percussus euilauit. Supplicabatque Deo dieque noctesque quadragies, implorans Beemon, quod est, Deum Israhel, præsto namque erat illi spiritus Satan, & celabat eum quod natus fuerat homo. Linguaque eius ligata hæserat, ne verba faceret, & vox bruti dedicata est ei. Et reddita sunt peringie ac caro à continuo euilatu, plerique vero summi magistratus simul & ciues, spectatum ipsum, urbem egrediebantur, solus Daniel illum visere detrectabat. Proinde vbi Nabuchodonosor transformatus est, assidue precationibus vacabat nomine eius, dixitque fore vt iterum hominis formam indueret, principatuique sui gubernacula resumat. Neque quisquam Danieli, fidem habere am bigebat. Septem porro annos, quæ illi septem tempora Daniel prædixit, supplicationibus ipse suis super eo ad Dominum in totidem menses commutauit. Mysteriū certe septem temporum super illo consummatum est, quod mediator septem restituit. Sexta que annos & totidem menses supplex precaus est Dominum Deum, & confessus est impietatem suam, & post remissionem sceleris sui, principatum illi Deus restituit. Ex eo igitur tempore neque carnis vesci, neque vino potari vnquam voluit, confitens vsque Deo, eo quod Daniel sibi præcepit, in leguminibus, virdibusve aut irriguis Dominum posse propitiari. Proinde Nabuchodonosor, indidit Prophetae appellationem Balsasar, iuxta nomenclaturam vnigeniti filij sui. Volebat ad Danielem cohæredem constituere pignori sui. At pius ille vir inquit, *Arbitrare me maiorum hereditatem repudiare, & non circumcisorum hereditati adherere.* Designauit complura prætereant reges Persarum miracula, quæ hoc quidem volumine annotata non sunt, cæterum in libro Danielis prodita scriptis competunt. Ille propheta in celsis montibus Babylonis monstrum annuntiavit & exhibuit, dicens: Vbi cernetis montem ex parte Boreæ fumo demigratum, pro foribus Babylonis terminus imminet. Quando vero isthunc flagrantem igne videbitis, aderit totius orbis terrarum finis. Sed quum ad meridiem mons aquas propellet, remeabit populus in patriam solum. Et condetur Hierusalem late, campoque capaciore, perinde atque factum est etiam per Iesum pontificem pariter & Zorobabel filium Salathiel. Quod si denique mons iste cruentus sanguine manat, stragem portendit ipsius Beliar in vniverso terrarum orbe. Aderit autem Dominus humana natura indutus. Tunc igitur Babylone ex hac vita discessit Daniel vir sanctus in pace. Et humatus est in angusta cauerna, honoribus magnis. Extat monumentum ipsius vsque ad hoc seculum nostrum, in Babylone cunctis notissimum.

Osee Propheta vita & interitus.

Osee Propheta filius Beer, in Belomoth de profapia tribu Isachar progenitus, signum dedit & prodigium, Dominum scilicet venturum cælitus in terram, cæterum hoc fore indicium aduentus eius, Si quercus ille in Selom findatur à seipsa in portiones bis senas, & fierent totidem quercus, & accidit ita. Cæterum de fornicatione & stupro gentis suæ vaticinatus est haud

parum. Vitam quum possuisset in pace, propria terra humatus est.

Amos Propheta vita & obitus.

Amos porro Propheta è Thecue de terra Zabulon oriundus, parens fuit Esaiæ Prophetae. Ab Amasia autem sacerdote Bethel iugiter vapulans, infidiis & conuiciis notatus est. Postremo vero filius Amasie fuisse eum secundum tempora feriendo occidit, quod ipsum de infidiis duarum iuuenearum ex auro suggilasset. Cæterum adhuc spirans in patriam terram profectus, & inibi fato functus, cum maioribus suis vna sepultus est.

Michea Propheta vita & interitus.

Micheas Marathides, propheta de tribu Ephraim oriundus. Quum plurima designasset regi Achab regi Iuda, ab eiusdem filio, cui nomen Ioam, præcipitatum, occubuit eo, quod de iniquitatibus suis, progenitorumque suorum, quas perpetrauerant, redarguisset. Is mortis carcere liberatus, in Marathi propria terra plane solitarius tumulum iuxta Polyandrum fortitus est. Est quidem monumentum ipsius vsque ad hodiernum tempus nobilissimum.

Iohel Propheta vita & interitus.

Iohel porro Propheta ex agro Bethor, de terra Rubim oriundus, per multa quoque super Hierusalem prophetauit, & de consummatione gentium vaticinatus est. Hic quoque diem in pace obiit, & cum honore & gloria in Bethor humatus est.

Abdiu Propheta vita & obitus.

Abbiu Propheta oriundus erat ex Sichen, agroque Bethachamar. Hic est vates iste, qui ter semicenturionem egit, cuique peperit Helias Thebites. Descendit vt conueniret regem, post hæc vero regie ordinationis deserto, ad hæc sit diuinatori Helias, & factus est discipulus eius, cuius gratia plurima iustitens seruatus est. Suum autem diem obiit, in agro Bethachamar cum patribus suis capulum obtinuit.

Iona Propheta vita & interitus.

Ionas Propheta, patria fuit ex terra Carthamum, Ihaud porro ab Azoto vrbe Græcorum mari vicina. Ea ætate Helias propheta redarguebat Achab principem Samariæ. Is vbi peringentem in diem super terram vocasset, corripuit se in solitudinem, vbi à cornu altus, de torrentis vnda sitim sedauit, & quando torrentis exaruit, esuriebat, migravit que Sarapha Sidonia ad foeminam quandam viduam pauperulam, genetricem Ionæ, ingressusque est ad es ipsius. Mulier autem nihil reliqui fecit in his, quæ ei mandauit mandauitque, & bene dixit tam in frumento, quam in oleo. Et comoratus est cum ea, nam cum in cornu cunctis confuetudinem habere non poterat. Quum autem filius viduæ eius fato functus esset Ionas, resuscitauit eum Deus per Heliam, restituitque ipsum suæ genitrici, vniuentem, propter hospitalitatem. Vbi igitur ad ipsam prouectus esset ætatem Ionas, ablegatus est in Ninive ad Assyrios, quumque studeret effugere Dominum, absorbtus est è ceto in itinere, profectus in Tharfos. Egressus vero rursus balenam, prædicauit in Ninive. Tum resipere Ninuitæ coram Deo, & reddiderunt Deum sibi propiciam. Merore autem affectus Ionas natale solum repetit, neque domi permanendum ducebat, verum assumpta parente sua in Sarr pergrinatus est, regionem alienigenarum, inquit enim, ne forte exprobraret, vanam existere meam prophetiam contra Ninive. Quum frequentaret itaque terram

Saar

A Saar, vita ibidem functus in specu Cenez ei Iudicis humatus est. Prophetavit autem vates ille, quod ubi conspicerent olim in Hierusalem innumeras gentes ab occasu, tunc radicitus popularetur ea ciuitas, & euertetur funditus.

Nam propheta visa & interitus.

Nam vero propheta natus erat ab Elkesi trans Iordanem fluuiū, versus Begabar de tribu Simeon. Hic est propheta ille qui post Ionam ostentum ac prodigium dedit super Ninive, quod ab aquis dulcibus, igneque terreno olim vastaretur. Id quod tandem contigit, quippe eam ex terræ motu igne vndique ambiente, mox etiam aqua de solitudine superueniens sublimiores etiam omnes vrbis locos occupauit. Expirauit vero Naū animam in pace, & in Begabar Sedibus ille suis placidis in morte quiescit.

Abacuk Propheta vita & interitus.

A Bacuk Propheta ex agro Bexzochar, è tribu Simeon oriundus. Quum ante expugnationem prospiceret captiuitatem Hierosolymæ, maxime quum super ciuitatem, tum super populum eius luxur. Appropinquante autem Nabuchodonosor Hierosolymis, vt dissiparet eas, fugam dedit ille in Ostracinam, manebat illic incola in terra Ismael. Ast vbi Chaldaei Hierosolymis soluentes, remearent in patriam suam, cum exuijs atque captiuis, & reliquis vrbis Hierosolymæ in Aegyptum descenderent, Antistes ille reuersus in patriam, ministravit messoribus sui agelli, seminauerat enim hordea. Cæterum statim vt esculenta præparauerat, vaticinatus est suis, dicens: Proficiscar ipse in longinquam terram, & reuertar ocyus, verum tamen si cum caueo diutius, apponite nostris messoribus quod manducent. Et translatus repente in Babylonem, exhibuit prandium Daniel, qui erat in cauea cum leonibus. Deinde egressus asstitit messoribus dum iam cenarent, neque communicauit cuiquam vel tantillum de eo quod contigerat. Annunciauit præterea Abacuk, paucis post diebus postliminio ex Babylone, Hierosolymam populum remeaturum. Obiecit porro ostentum iis, qui Iudæam habitant, Quod scilicet visuri essent in templo grande lumen lucide micans, & ita contemplerentur gloriam Dei. Prædixit item de consummatione templi, quod à populo occidentali foret deuastatio eius Hierosolymis. Tum carbafus, inquit, Dabit in duas findetur paritulas. Geminarum item columnarum capitella seu epistelia è medio auferentur, neque quisquam cognouit, vbi sint, quoque peruenierint, sed in deserto efferentur ab Angelis, vbi nuper compactum erat martyrij tabernaculum. Et in illis cognosceret in consummatione Dominus, quod illuminabunt persequutos à serpente tanquam ab initio. Et seruabit eos Dominus ab vmbra mortis, eruntque in tabernaculo sancto. Hic propheta de aduentu Domini non pauca vaticinatus est, atque ante biennium quam populus à Babylone rediret, mors prophetam occupauit, & magnis honoribus in agro suo sepultus est.

Sophonia Propheta vita & interitus.

Sophonias quidem Propheta Sarabathides, sive à monte Sarabatha, è tribu ac profapia erat Simeon. Is quoque de Hierosolyma ciuitate prophetauit, nempe, Quod multo foret satius, si in longum, latumque ædificaretur. Super consummatione etiam gentium, necnon & super confusione impiorum, deque aduentu Domini. Vitam morte commutauit in Apocalypsi Domini, & solitarius in aruo suo funeratus est.

Aggei Propheta vita & interitus.

Aggeus Propheta, etiam dum iuuenis admodum, ex Babylone profectus est Hierosolymam, & ingenue de reditione populi vaticinatus est. Et oculis structuram

templi Hierusalem vidit. Idem ibidem omnium primus cecinit *alleluia*, quod est, Laudibus efferemus viuentem Deum. Amen, quod, fiat, fiat, interpretatur. Eodem igitur loci vitam finiuit, & humo, prope sacerdotes, cum honore & gloria conditus est. Proinde etiam dum hodie psallimus *Alleluia*, qui hymnus Aggei & Zachariæ perhibetur.

Zacharie Propheta quum vita tum interitus.

Zacharias Propheta, natus Barachia, è terra Chaldaeorum soluit, & inter proficiscendum permulta populo vaticinatus est. Et demonstrationis causa, plurima designauit miracula. Hic est qui in os annunciat Ioseph, Nascetur exte filius, qui sacris initiatus Hierosolymis sacrificabit Domino. Hic etiam benedixit Salathiel in filio, dicens: *Procreabit filium, & indet nomen illi Zarobabel*. De Cyro quoque Rege Persarum Zacharias ostentum dedit, id que ad victoriam. Signum item super Cræso Lydorum Tyranno obiecit, necnon & super rege Medorū Astyage. Deque publico ministerio, quod Cyrus Rex designaturus esset Hierosolymis, vaticinatus est, laudibusque euexit illum, nec vulgariter benedixit. De vaticinio porro, quam prophetiam vocant, proprio in Hierosolymis, de consummationeque gentium, & de templi Hierosolymitani ædificatione. De ocio denique & desidia tam prophetarum, quam sacerdotum, nonnulla duplici quodam iudicio exposuit. Decessit vltima senectute in Iudæa, & proxime cum Aggeo propheta humatus est.

Malachia Propheta vita & interitus.

Malachias Propheta è tribu Zabulon emicuit. Hic post reditum populi de Babylone, natus perhibetur in Sophain terra nempe Zabulon. Is ab ineunte ætate, dumque iuuenis esset vitam inculpata egisse fertur. Super aduentu Domini, deque vita sanctorum iudicio nonnulla ab eo vaticinata sunt, quodque ritus cum legibus Moysi consummabuntur & emendabuntur. Cæterum quum populus eum vniuersus vt virum non minore sanctimonia, quam mansuetudine præditum, coleret, indiderunt illi nomen Malachil, quod si quis interpretamentum requirit, sonat Angelus, erat quippe forma oppido quam præstanti. Quæcunque præterea dixit in prophetia Malachias, visus est Angelus se indes instituisse & declarare, perinde ac factum temporibus quoque Anarchiz proditur, quum principatus existeret adhuc nullus, quemadmodum traditum est in Spharphorim, quod est in volumine Iudicum. Ante diem vero adhuc iuuenis, propheta ille fato est functus, iuxtaque maiores suos in proprio agello repositus est.

Alius Zacharie vita & obitus.

Zacharias adhuc alius fuit tum Propheta, tum sacerdos, Iodæa sacerdote prognatus, Ioannis Baptistæ parens, quem Herodes ille tyrannus iuxta aram domumque Dei occidit, effususque est sanguis eius in vestibulo templi Domini. Is natione Hierosolymitanus erat, de familia David, officialis in domo Domini. Inter cætera que vaticinatus est, de origine quoque & natiuitate Christi nonnulla prophetauit. Eo igitur in loco Propheta in domo Domini, & templo Domini humatus est. Ex eo sane facta sunt in templo illo stupenda miracula, phantasmæque hoc est, visiones. Cæterum sacerdotes nequibat amplius neque angelorum visa oculis vsurpare, neque oracula siue responsa populo ex Dabir reddere. Neque etiam poterant in Ephud per signa & portenta, quemadmodum prius soliti fuerant, vique ad tempus hodiernum respondere.

Symeonis Propheta vita & obitus.

Symeonis sacerdos è tribu Aaron emicuit. Hic quippe est is, qui oraculum accepit à Spiritu sancto, Nequitiam

A tiquam visurum esse mortem, quousque Christum Dominum incarnatum cerneret. Hic est, inquam, ille qui gestavit Dominum in vlnis suis, & glorificavit eum, dicens: *Viderunt oculi mei salutem tuam. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Fato functus est Symeon iste pluribus quidem annis obfusus, bene confectus, nec porro à sacerdotibus, postremum consecutus honorem, humatus nst.

Ioannis Baptista & quum visa tum obitus.

Ioannes Baptista, Zacharia & Elizabetha natus, è tribu Leui emicuit. Is est qui tanquam digito ostendit nobis Agnum Dei patris filium, qui tollit errata mundi. Hic

mortalibus viam prestuxit, & fores patefecit regni Dei. Nemo sane inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Functus est autem vita, decollatus ab Herode Tyranno proter Herodiadem fratram, puta Philippi fratris sui coniugem.

Conclusio.

Nonnulli porro aliquot alij extiter Propheta, quoru nomina in Natalijs eorum scripta comprehenduntur, libro scilicet Nomenclaturarum Itrael, quorum nullam hic plane mentionem fecimus.



B **EPIPHANII EIVSDEM QVONDAM ET SALAMINIS SIMVL IN CYPRO EPISCOPI, EPISTOLA AD IOANNEM EPISCOPIVM HIEROSOLYMITANVM,**

DIVO HIERONYMO PRESBYTERO INTERPRETE.

Epiphanius Ioanni Episcopo Hierosolymorum.

DOMINO dilectissimo fratri Ioanni episcopo Epiphanius. Oportebat nos, dilectissime, clericatus honore non abuti in superbiam, sed custodia mandatorum Dei & obseruatione diligentissima hoc esse quod dicitur, Cleri eorum non proderunt eis,

C quæ arrogantia clericatus conducere nobis poteris, qui non solum cogitatione & sensu, verum etiam sermone peccamus? Audiui quippe quod tum eas contra nos, & irascaris, & mipiteris scribere in extremos fines terræ, vt loca prouinciasque non nominem. Et vbi est Dei timor, qui nos debet illo tremore concutere, qui dictus est à Domino: Si quis irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio: Nô quod magnopere curem, si scribas quod placuerit. Scribebantur enim & epistola byblinæ iuxta Esaiam: & mittebantur super aquas, quæ cito cum seculo transeunt. Nihil tibi nocuimus, nihil iniuriæ fecimus, nec quicquam violenter extorsimus. In monasterio fratrum, & fratrum peregrinorum, qui prouincia nihil tuæ deberet, & ppter nostrâ paruitatē & literas, quas ad eos crebro direximus, communionis quoque tuæ cæperunt habere discordiam, ne viderentur quadam duricia & conscientia nostra, antiquæ fidei ab Ecclesia separati, ordinauimus diaconum: & postquam ministravit, rursus presbyterum, super quo debueras gratulari, intelligens quod ob Dei timorem hoc sumus facere compulsi: maxime cum nulla sit diuersitas in sacerdotio Dei, & vbi utilitati Ecclesiæ prouidetur. Nam & si singuli ecclesiarum Episcopi habent sub se Ecclesias, quibus curam videntur impendere, & nemo super alienam mensuram extenditur, tamen præponitur omnibus charitas Christi, in qua nulla simulatio est: nec considerandum quid factum sit, sed quo tempore, & quo modo, & in quibus, & quare factum sit. Cum enim vidissem, quia multitudo sanctorum fratrum in monasterio consisteret, & sancti presbyteri, Hieronymus & Vincentius propter verecundiam & humilitatem nolent debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte ministerij, quæ Christianorum præcipua salus est, inuenire autem & comprehendere seruum Dei non posses, qui te, eo quod

G graue onus sacerdotij nollet suscipere, sæpe fugiebat, sed nec alius quis Episcoporum facile eum reperiret. Unde & satis miratus sum, quomodo dispensatione Dei ad nos venerit cum diaconis monasterij & cæteris fratribus, vt mihi satis faceret, quia nescio, quid aduersum eos habebam tristicie. Cum igitur celebraretur collecta in Ecclesia villæ, quæ est iuxta monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam penitus habentem suspensionem, per multos diaconos apprehendi iussimus, & teneri os eius, ne forte liberari se cupiens, adiuraret nos per nomen Christi, & primum diaconum ordinauimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentis vt ministraret. Valde quippe obnitebatur, indignum se esse contestans. Vix ergo compulsum eum, & perluadere potuimus testimonijs Scripturarum, & propositione mandatorum Dei. Et cum ministraret in sanctis sacrificijs, rursus eum ingenti difficultate tento ore eius, ordinauimus presbyterum, & iisdem verbis, quibus antea iusseramus, impulimus vt sederet in ordine presbyterij. Post hæc scripsimus ad sanctos presbyteros monasterij, & cæteros fratres, & increpauimus eos, quare non scripsissent super eo, cum ante annum multos eorum queri audissem, cur non haberent qui sibi Domini sacramenta conficerent, & illum omnes suo poscerent testimonio, & grandem villitatem in commune monasterij restarentur, quare tunc reperta opportunitate non scripsissent nobis, neque super ordinatione eius aliquid poposcissent. Hæc ita acta sunt, vt loquutus sum, in charitate Christi quam te erga paruitatem nostram habere credebam, quamquam in monasterio ordinauerim, & non in parochia, quæ tibi subiecta sit. O vere benedicta episcoporum Cypri mansuetudo & bonitas, & nostra rusticitas, sensu tuo & arbitrato digna misericordia Dei. Nam multi episcopi communionis nostræ & presbyteros in nostra ordinauerunt prouincia, quos nos comprehendere non poteramus, & miserunt ad nos diaconos & hypodiaconos, quos suscepimus cum gratia. Et ipse cohortatus sum beatæ memoriæ Philonem Episcopum & sanctum Theoprobum, vt in Ecclesijs Cypri, quæ iuxta se erant, ad meæ autem parochiæ videbantur Ecclesiam pertinere, eo quod grandis esset & late patens prouincia, ordinarent presbyteros, & Christi Ecclesiæ prouiderent. Nunquam autem

ego

SCYPRIAN
EPIPHAN
OPERA